

53.
DISPV TATIO MEDICA,

De
HYDROPE,

QVAM

D. T. N. A.

Præfide clarissimo viro,

DN. FRANCISCO PARCOVIO,
Rostochiensi, Philos. & Medic. Doctore, & in
includâ Iuliâ Professore primario, facultatis pro
tempore Decano spectabili, & Illustrissimorum
Ducum Brunsvicensium & Lunæburgen-
sium Archiatro.

*Pro summis in arte Medica consequendis honori-
bus, publicè examinandam proponit*

IOANNES VVOLFIVS ALTENDORPIVS,
Poliater Guelpherbytanus.

*Ad diem Iunij 22. horis & loco
consuetis.*



HELMAESTADII,
Ex officina typographica Iacobi Lucij,
ANNO MDCCX.



Reuerendo & amplissimo viro,

DN.

PETRO VVEINTRA V.
BIO, COENOBII RIDDAGESHV.

fani Archimandritæ dignissimo, Mece-

nati meo æternum co-

lendo.

In

*Studiorum, quæ fouit, obseruantiaeq; & gratitu-
dinis nunquam intermorituræ testimonium,*

dedicat

I. VVolfius.





DISPUTATIO

De

HYDROPE.

THESIS I.

REcetè Galenus lib. 2. Method. med. nomini-
 bus propter res vtendum, & ab ijs ad ipsam
 rerū substantiam considerandam nobis trans-
 eundum esse, monet: id scitum ne nauci ha-
 bere videamur, nomina primum, quibus af-
 fectum, de quo disquisitionem instituturi su-
 mus, auctores insigniunt, cum & varia sint, & ab ijsdem con-
 fusè vsurpentur, considerabimus.

2. Græcis itaq; ὑδρωψ, ὑδερ & ὑδρωπις, ὑδερμασις vocatur,
 à symptomate deductis vocabulis, quod aquosus humor in
 hoc affectu producat & abundet, vocatur. Coelio Aurel.
 παρέκχυσις, quod sit aquei humoris in inanitates carnis, &
 vacua ventris spatia effusio, quomodo tamen quidam dici
 volunt, si à renibus hoc vitium nascatur. Latinis, vt Cic. a-
 qua intercus, Celso aqua inter cutem, etiam si hoc nomine
 nonnulli illam speciem, quæ Anasarca dicitur indigent, Ho-
 rat. hydrops & aquosus languor, vt & Sereno, Hydropisis
 Plinio nominatur.

3. In vestibulo autem non erit fortasse extra rem monere,
 quod Hippocrates vocabulum hydropis etiam latius exten-
 dat, & μετὰ τὴν κοιλίαν vsurpet de omnibus partibus, in quibus
 quocunq; modo aqua colligitur.

4. Si enim in capite aqua coaceruatur, ὑδερκεφαλιὰ dicitur.

tur, cum pulmones vniuersi aqueo humore madent, atq; pleni sunt, hydrops pulmonis. In vtero si colligatur eadem superfluitas, hydrops vteri, siue, vt Auicenna vocat, aqua in matrice nominatur. Hippocr. lib. 2. de morb. lib. de nat. mulieb. Galen. lib. qui medic. inscr. AEt. lib. vlt. cap. 97. lib. πρξ. 2. cap. 1. Aret. lib. 2. d. morb. chr. c. 1. Cels. lib. 4. cap. 2.

Hydrops
in genere
definitio.

5. Verum omissis hisce in vniuersum & qui propriè hydrops dicitur, definimus, quod sit intumescencia vel totius corporis vel ventris à collectione aquosi humoris, flatuumque copia proueniens, propter frustrationem sanguificationis, ob viscerum naturalium, præcipuè epatis & venosi generis labefactatam facultatem, debitalem & corruptionem.

6. Subiectum hydropis statuimus duplex, 1. τὸ ἕμψαν αἰῶν & vt Aretæus loquitur, siue vniuersi corporis habitum, quando totum corpus intumescit in illà specie, quam Leucophlegmatiam ab humore pituitoso, eiusdemque colore albo, à quo producitur, vocant. 2. Ventrem, qui vel à pedibus ferè sumpto initio, ijsque sensim seroso humore repletis, plus a quo excrescit in hydrope, ascite nominato; vel flatibus distenditur in abdominis capacitate conclusis, & tympanites dicitur.

Causa vni
uersalis.

7. Præterea adiungimus etiam primariam huius vitij causam, videlicet τῶν ἀλάγων κατάρσεων debilitatem & corruptionem, in primis vero epatis, à cuius caloris natiui penurià & imbecillitate sanguificatio deficit, siue id proprio illius vitio, siue per consensum contingat.

Species.

8. Principio colligere hinc licet, tres esse principes & præcipuas hydropis species materià & loco differentes: Anasarcam, Ascitem & Tympanitem.

9. Hippocrates quidem duo tantum videtur agnoscere genera lib. de vict. rat. in acut. Verum ille Leucophlegmatiam habet pro rudimento potius & præludio quodam ad hydro-

dropem, nimirum huius nomen κατ' ἐξοχήν grauissimis illis & deterrimis speciebus attribuens, quemadmodum euidenter patet, *lib. de affect.* vbi leucophlegmatiam, si non curetur, in hydropem transire, & hominem corrumpere, & paulo post, Hydropem è pituità albà oriri, dicit.

10. Aretæus *lib. 2. de morb. chr. cap. 1.* quatuor statuit species, discrimine inter phlegmatiam & anasarcam facto, quod hic in succum sanguineum, aquosum, tenuem carnes colliquescant, ibi ex pituità crassâ & frigidâ omne corpus intumescat: Verum cum anasarca talis dicatur, quod ex humore pituitoso per carnem sub cute & intra cutem sparso & collecto fiat, ideoq; varijs insigniatur nominibus, vel illæ differentia eiusdem sunt speciei, vt Aegineta vult, vel altera species ex colliquatione spurius vel pseudohydrops esse videtur.

11. Nos prædictas tres pro legitimis agnoscentes ad singulas descendemus, & cuiusq; naturam & curationem pro re nata adumbrabimus, principio ab anasarca facto, quæ & λευκοφλεγματία, à causa, vt dicit Galenus *lib. 2. morb. med.* putatà, ὑποσώρα, κατασώρα, σαρκίτης ὑποσαρκίτης, vocatur, quod vniuersa caro multo humore pituitoso albicanteq; sanguine imbuatur & suffundatur.

I Anasarca.

12. Ac definitur, quod sit tumor vniuersi corporis à crudopituitoso & aqueo humore per totum corporis habitum collecto & subter cutem diffuso, ob sanguificationis defectum, & errorem nutritoriae facultatis alimentum inidoneum solidis corporis partibus agglutinare & assimilare non valentis. *Galen. lib. 1. de natur. fac. cap. 11.*

Definitio.

13. Oritur hoc vitium à prouentu & exuberantiâ humoris crudi & pituitosi, quem cum nutritiua facultas superare & euincere nequeat & propter copiam & propter elaborationem non debito modo in venis & visceribus factam, v-

Causa.

niuersum corpus ab illo in tumorem laxum, mollem & fungosum attollitur, ita vt spongiæ instar imbibisse humorem videatur, colore pallido & subalbido conspicuum.

14. Succrescit autem humor ille crudus & pituitosus partim culpâ alimentorum, partim vitio viscerum sanguificationi destinatorû, quando videlicet epar, lien & venæ propter debilitatem diuturniorem, & caloris natiui defectum, sanguinem non satis elaborare possunt quin eum crudû, aqueum & vitiosum progenerant & accumulunt, eoq; magis, si in ventriculo concoctio imperfecta præcesserit, cum istius delictum in secundâ emendari nolit.

15. Prouenit hæc viscerum imbecillitas ac epatis præcipuè ab immodicâ refrigeratione, obstructione, scyrro, phlegmone, à caloris natiui ac spirituum dissipatione. Intemperiem frigidam inducunt nimius & intempestiuus frigidorum, puta fructuum, olerum, medicamentorum vsus, aquæ frigidæ & vitiosæ potus immodicus, præsertim vbi corpus incaluit post exercitium aut balnea.

16. Calorem natiuum dissipant & resoluunt morbi vehementes diuturni vel acuti, veluti febres: sanguinis è natibus vtero & hæmorrhoidibus immoderata profusio. Idem aliquando suffocatur seq; ipso minor fit propter suppressas consuetas euacuationes, vt mensium hæmorrhoidum, sudoris, vrinæ &c. imò propter omnem sanguinis copiam.

17. Duplex itaq; in anasarca error occurrit, alter est viscerum naturalium venosarumq; partium, quæ sanguinem ineptum & nauci progenerant ac coaceruant: alter facultatis nutritiæ, quæ propter eundem languorem munere suo destituta alimentum agglutinare & assimilare nequit, vnde Auiicenna, in anasarca tertiam lædi coctionem scribit.

18. Hippocrates *lib. de affect.* originem & naturam huius affectus satis copiosè depingit his verbis: Morbus hic

ex pituita oritur cum quis ex febribus diuturnis pituita abun-
dauerit & minimè purgatus fuerit, & in eius carnes pituita ver-
tatur, quæ quanquam reliqua pituita nihilo fit albidior, cutis
tamen color candidior apparet. Sanguis enim pituitæ co-
pia aquosior redditur, neq; in eo bonus color inest, propter
eaq; candidiores apparent, morbusq; pituita alba vocatur.

19. Signa Leucophlegmatia sunt: Inflatio & tumor vni-
uersi corporis, maximè in facie, manibus & pedibus, caro
humida & madens, cui si digitum impresseris, cauitatem diu-
tius retinet, mane pedes detumescunt quidem, at facies par-
tesq; supernæ sæpissime eodem in statu permanent, quos e-
nim vapores calor imminutus in somno eleuat, eos propter
languorem discutere non valet. Lassitudo & eneruatio cor-
poris ob copiam & enormem sanguinis aquosi cruditatem.
Color pallidus, vrinæ tenues, albæ & crudæ, excrementa iti-
dem cruda, interdum sanguine albicanti permixta &c.

20. Ascites ita *ἀσцитὶς* dictus, quod venter aqueo & *ὁ ἀσцитῆς*
seroso humore distentus vterem aqua plenum repræsentet,
definitur quod sit tumor ventris siue abdominis ab illapsu
serosi humoris vitio viscerum progeneri.

21. Definitionis veritas vt innotescat clarius, videndum
est præcipuè, vnde serosus iste humor proueniat, & quomo-
do in prædictum locum illabatur.

22. Fernelius rectè existimauit, ascitis causam licet, vt *Causæ.*
vult, non omnem, à soluta continuitate viscerum eorundem-
que membranarum rupturâ & diffissione originem sumere
idq; qui sequitur, modo.

23. Epatis Lienisq; substantia, quia parenchymate con-
stat, ob icterum vel scyrrhum iam diu infestantem, aut febrè
ardentem, aut vini generosi & meraci aromatumq; & alio-
rum ciborum calidissimorum immoderatum vsum siccitate
humorisuè penuriâ induratur & exarescit, ideoq; diffinditur. &

ceu

ceu rimulis quibusdam dehiscit, quibus postea serum, quasi ex ollâ fîsâ continenter destillat, & vel in vacuum abdominis spacium, si membrana ambiens etiam sit disrupta, delabitur, vel, si illa adhuc sit integra, vesiculas in eâ eleuat, aquâ limpidâ plenas, quas *ιδανίδες* Græci nominant, & quales sæpe in iugulatorum pecorum, boumque visceribus, conspiciuntur, quibus disruptis aqua continuo in ventrem & omentum destillat.

24. Causam hanc assignare videtur Hippocrates *lib. 7. Aphor. sect. 55.* quibus hepar refertum aquâ in omentum erumpit, his venter aquâ impletur: non dissimili fortassis ab illius hydropis natali quem ex tuberculis pulmonum oriri demonstrat idem Hippocr. *lib. de int. affect.* argumento boum, ouium & suum, sectioneq; eorundem factâ, vt quibus eo modo diuisis aqua, quam continebant, in pectus erumpat.

25. Læditur quoq; horum viscerum substantia circa superficiem vel tumore quodam fungoso illi adnato, è quo serosus humor exudat, cuius exemplum refert Platerus, vel vulnere, aut vlcere à phlegmone suppurante, vel tumoribus alijs in abscessus degenerantibus relicto.

26. Idem in renum corporibus euenire ostendit Platerus, si eorum substantia ad eundem modum, vel ob nimiam fîccitatem vel exulcerationes, soluatür atq; diuidatur, quomodo serum, quod vna cum sanguine per emulgentes venas ad illos defertur & ab illis secerni solet, statim redundat, & vel vesicas excitans, vel statim penetrans in abdominis capacitatem illabitur.

27. E venis ventris interioribus, per *διαμήδων* vel *ανατομία* transudare & in ventrem labi potest serum, præsertim cum in frigidioribus morbis illud cumulatius coaceruatur, aut propter consuetas euacuationes, quibus educi debebat, reurgitat.

28. Copiam autem feri producit viscerum præcipue epatis & lienis, à quibus plerumq; hydropem accersit Hippocrates, imbecillitas & intemperies frigidior, ob ante dictas causas contracta, ijs enim cespitantibus, loco sanguinis vberior aquæ prouentus succrescit, quæ post per angustos cæcosq; poros & ductus à natura segregatur & in ventris capacitatem relegatur.

29. Neq; hoc tamen fit solummodo propter nimiam superfuitatem, sed etiam alienam qualitatem, quam, vt vult Mercat. induit, eo quod iccoris calor non solum perfunctoriè imminuatur, sed quod illud cum habituali & hecicà intemperie vna ita sit corruptum, vt aquam omnino vitari oporteat, quapropter illam partes renuant tanquam inutilem, renesq; non trahant & expurgent, vnde natura illam alicubi, melioris gratiâ, colligere & recondere oporteat.

30. Renes etiam proprio interdum vitio hic laborare solent, vel quia imbecilles sunt, vel obstructi, quare serum refluit, & per venosum genus vagatur, donec à naturâ ad dicta loca protrudatur; vnde dicunt nonnulli, generationis aquæ causam esse iecur, redundantia renes, tumoris collectionem, nec non Auicenna causam ascitis esse aut in virtute separatiuâ, aut in materiâ separatâ, aut in vijs.

31. Meminit Iacob. Camenicenus in epist. ad Andr. Matthiol. lib. 5. cuiusdam hydropis, vbi aqua, citrina vocata, intra peritonæum & intestina collecta fuit copiosius, ex hepatis venis in parte eius cauâ, priusquam in communem illum caudicem portæ desinunt, omnibus obstructis, lapillis eas distendentibus, foris nigris, intus flauescens, nec non illo meatu, qui ex folliculo fellis in intestinum desinit, lapide eiusmodi obstructo.

32. Prouenit quoq; hydrops, seu hydropiformis potius affectus ex pure, quando vehemens & magnus aliquis abscessus

lus circa omentum & mesenterium rumpitur, cuius materia colligitur in abdominis spacio, de quo meminit Auicenna. Item ex sanguine, cum disruptâ aliquâ insigni venâ sanguis in ventre coaceruatur. *Vesal. lib. 5. c. 9. Columb. lib. 15.*

Signa & si. 33.
gnorum
causæ.

Ascitis signa ita proponit Hippocr. *lib. de affect.* Venter aquâ impletur, pedes & tibie attolluntur, humeri iugulum & pectus contabescunt. Abdomen igitur quidem intumescit ad pedes vsque, at superiores partes magis extenuantur, & *ἀσθησία* laborant, eo quod alimoniâ debitâ priuentur propter sanguinem membris alendis inidoneum. Hic tumor immutato corporis situ etiam mutatur, & quorsum ægri corpus prouoluitur, illuc quoq; cum quadam fluctuatione prolabitur.

34. Vrina pauca adest, quia obstructæ & compressæ sunt viæ vrinales propter modo dictas causas, vel quia aquosus humor ijs incumbit & quasi meatus intercludit, ne foras migrare possit, vel quia, quod iam dum in abdomen illapsum sit ferum, minori quantitate ideo ad renes deuenit: nec minus rubra, quod propter obstructionem & humorum putredinem igneo calore incalescat. *Lang. lib. 2. epist. 41.*

35. Temporis successu sitis etiam vehemens suboritur & valde affligit, quam clamoriam vocare consueuerunt: licet enim vniuersum corpus nimio humore madeat, propter morâ tamen hæc humiditas acrimoniam, salsuginem & nidorê contrahit, vnde vapores feruidi, putridi & nidorosi sursum eleuantur, gulamq; & os ventriculi exiccantes sitim pariunt. Ad quod accidit & humoris natiui & suavis, quo irrigari partes solent, inopia, nec non febris, cum quâ conflictari solent vltimum Hydropici.

36. Dispnea etiam ægrum admodum infestat & tussis, siue tussendi cupiditas, à tumore, vel substratâ iecoris splenisq; adeoq; totius ventris mole, diaphragma vel comprimente vel attr-

attrahente, & pulmones exinde coarctante, vt ad aërem hau-
 riendum distendi satis nequeant: affligitq; potissimum cir-
 ca noctis medium peracta concoctione, vnde tum sedentes
 non nisi erectâ ceruice instar orthopneumonicorum respira-
 re coguntur. Hanc præcordiorum angustiam dum pulmo
 excutere nititur, & si fortassis aliquid vnâ illapsum sit, tussim
 eo impetu mouet, quâ tamen nihil vel parum excreant. Hinc
 Hippocrat. *lib. 2. progn.* ait: quibus à iecore aqua inter cutem
 oboritur, tussire quidem desiderant, sed nihil affatu dignum
 excreant.

37. Tandem humor quasi cuniculis factis in scrotum de-
 labitur, quod admodum repletur & distenditur, adeo vt ca-
 pitis magnitudinem exæquet, virgâ non minus intumescen-
 te & sese incuruante, vt lotium difficiliter reddere queant.

38. Tertia species *τυμπανίτης* est, ita dictus quod venter Tympani-
 percussus tympani sonum quodammodo æmuletur, ab Hip- ^{tes.}
 pocr. *lib. 4. aphor. s. 11.* siccus hydrops, comparatione ad ascite
 facta appellatur, & est tumor ventris à flatibus in ventre
 conclusis propter intemperiem viscerum nutritioni inserui-
 entium.

39. Quemadmodum in ascite aqua colligitur, ita hic fla-
 tus coaceruantur, eorum autem origo accersitur primò à ven-
 triculi & intestinorum intemperie frigidâ à Galeno *lib. 3. de*
caus. sympt. & in iecur definit. Principio enim ventriculus,
 intestina & mænterium refrigerantur, post iecur, quod
 quia tum quidem adhuc calidius est, nequit tamen flatus
 propter impotentiam resolvere, sed illos potius progenerat
 copiosiores, tum ob materiæ cruditatem ab enormi reliqua-
 rum partium intemperie productam, tum ob calorem disse-
 ctum, quo aggreditur quidem, & discutere nititur materiam
 flatuosam, ob languiditatem tamen deficit.

40. Frigida autem illarum partium intemperies non sim-
 plex

plex sit oportet, sed vehemens adeoq; hectica, propter quam perenni generatione propagantur flatus, quod demonstrat difficultas curationis, quam dolores ab illis excitati vix ac ne vix quidem admittunt, cuius contrarium contingit in alijs circa vmbilicum tumoribus & doloribus.

41. Cognoscitur facilè tympanites, dummodo ab ascite rectè distinguatur: præter enim ventris tumorem, eiusq; sono, quem percussus imitatur, in illo minor est grauitas, non illa fluctuatio, neq; tantus pedum tumor, aut partium superiorum extenuatio, dolor adest circa ventriculum, intestina, & lumbostensiuus, lancinans & punctorius.

Prognost.

42. Nunc si de hisce speciebus prognosticum instituere velis, & an curatio sit processura, nec ne, pronunciare, attendendum est quod 2. progn. scribit Hipp. Qui aqua inter cutem detentus est, & seruari volet, eum robustis visceribus & contentis viribus esse oportet. Rectè enim dicit *Libaut. in schol. ad aphor. 29. f. 7.* spem & desperationem hydropis à visceribus captandam esse, frustra q; omnino tum naturam tum artem moliri vacuationem materiae, vbi desperata vitia latent in visceribus.

43. Hydrops itaq; qui à scyrrho iecoris exquisitiori, vel quavis alia epatis corruptione, quiq; itidem ex morbo acuto, *lib. 2. progn.* originem ducit, perniciem adfert: postea ratione *Ἐπινομήσαν* præsto noxa est, videlicet, si tussis superueniat *lib. 7. Aphor. f. 47.* si dispnæa diuexet, quæ cum viscerum vitio proueniant, confirmatum hydropem indicant.

44. Inprimis autem desperatus est hydrops, qui remedijs cum cesserat, mox recurrit, *in coac. pran.* grauitatem enim mali significat & corruptionem viscerum denotat. Nec minus periculum minatur, si febris cum vrinâ pauca, turbulenta & rubra, quæq; stillatim effliat, adest, si alui fluxus diurnus, neq; ventrem molliens, neq; tumorem soluens, per-

seue-

seueret. In tympanitide si tormina circa tenue intestinum incidant, si vrinæ sint stillicidia, malum.

45. Leucophlegmatia detento, si fortis diarrhæa superueniat, morbum soluit, nimirum si adsint illa, quæ Hippocr. requirit, viscera nequaquam siderata aut corrupta, viresq; vegetæ, si sine cruditate, vt est in Coac. prænot. sit profluuium, illa enim imbecillitatem retentricis, aut interceptionem *ανάδοσεως* aut alimentorum corruptionem demonstrat. *Li. baut. ad aph. 29. lib. 7.*

46. Omnes autem species hydropis licet admodum sint periculosa, omnium tamen facillimè curationem admittit anasarca, quod in illâ non tantus sit excessus, reliquæ pertinacior. Hydrop. species que nam deterior.

47. Vt curatio legitimè instituatur, causarum primò semper habenda est ratio, vel viscerum refrigerationis, scyrrhi, obstructionis, caloris & siccitatis immodicæ, vt è medio illæ tollantur: secundo obstructionibus remotis aqua vel humor pituitosus educendus, atq; flatus discutiendi: & demum viscera corroboranda. Curatio.

48. Hic verò licet auspicandum esse videtur ab eo, quod reliquorum sit principium & causa, quia tamen aquæ collectio, abundantia & mora calamitosior est, & epar corrigi non potest, quam diu in corpore illa hæret, primo loco euacuamus, diuersâ tamen ratione, pro diuersitate specierum, & humorum peccantium.

49. Vbicunq; exulare iussâ venæ sectione, nisi menses suppressi sint, quorum prouocandorum causa aliquid fieri potest, in Anasarca euacuamus crudos & aqueos humores per ea, quæ & deobstruendi & purgandi facultatem habent, quibus in ascite hydragoga adijciuntur, quorû omnium magna silua

passim apud omnes authores diuersis formis concinnatorum extat, vt ea huc transcribere sit actum agere.

50. In ascitide autem, quæ à viscerum solutâ continuitate & siccitate nimia oritur, videndum ne nimium calidis vtamur, sed vt ijs, quæ aquas educunt, refrigerantia & humectantia, aut in scyrrho, emollientia admisceamus, quemadmodum in tympanitide flatus absumentia & discutientia addi oportet.

51. Verum dum hæc fiunt, viscera per interualla corroborare & ad debitam temperiem reducere conuenit, ad quam intentionem varias formas apud Medicos inuenire est, vt sunt, conseruæ, opiata, pulueres, pilulæ, trochisci &c.

52. Per alias vias euacuatio etiam vtiliter instituitur, vt per sudores, cum eorum prouocatio magnam vim habeat ad absumendos, & ad superficiem cutis propellendos humores, quæ adiuuari potest exercitijs conuenientibus, & frictionibus adhibitis.

53. Vomitus, si in ventriculo aliquid noxij resideat, in consuetis aliquando moueri potest, in illis vero, qui iam dum difficili spiratione laborant, eo quod ventrem concutit, & anhelitum difficiliorem facit, omittendus est.

54. Per vrinam multum aquositatis euocari posse, certum est, siquidem vel defectu vel impotentia eiusdem hoc malum accersiri posse ante diximus: pro discutiendo tumore ventris, pedum, vtuntur fotibus & balneis, vnguentis, oleis, sacculis & emplastris, &c.

55. Restat quidam modus educendæ aquæ, qui fit per paracentesin vel sectionem iuxta vmbilicum, quæ temerè tentanda non est sed cautè & cum præfagio, firmis adhuc viribus, ventriculo robusto & valido, vbi neq; fluxus alui, neq; tussis intensa adsit. Educatur vero aqua non confertim
simul

simul & semel, sed paulatim & per interualla, iuxta præscri-
ptum Hippocr. lib. 6. Aph. s. 27.

56. Diætã quod attinet adijcit illam, vbi vniuersã cu-
randi rationem paucis complectitur Hippocr. lib. de affect. æ-
gro, inquit, deorsum purgantia exhibenda, quibus aqua
aut pituita purgatur; in victus autem ratione vtend-
um cibus & potibus ac laboribus, ex
quibus siccissimus & maximè
gracilis euadat.



Quæstiones medicæ.

I.

Quamnam, vbi vtraq; opus est euacuatione,
videlicet & purgatione & vena sectione, præmit-
tere debeamus, an hanc illi, an vero illam huic.

II.

An medicamentum quod & euacuat, vomit-
usq; concitat, & vna sudores prouocat, secun-
dum naturam operetur, atq; exinde & Phœcia, quã
requirit Hippocr. proprie prouenire possit & so-
leat.

III.

Num antimonium ita præparari possit, vti a-
micum naturæ esse queat.

An

I V.

*An vera sit Plateri opinio existimantis, De-
um condidisse corpuscula quadam, pestifera qua-
litate & veneno imbuta, qua ad certa loca aman-
data, & tanquam ergastulo quodam conclusa re-
seruet, unde si pro libitu pestem immittere velit,
illa euocet, & ad puniendas regiones perdu-
cat, ut aërem ibi insicere pestemq;
procreare debe-
ant.*

F I N I S.

